

Pamph
LGr
Pi
L

INDEX SCHOLARVM

QVAE

SVMMIS AVSPICHS

REGIS AVGVSTISSIMI

G V I L E L M I

IMPERATORIS GERMANIAE

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

PER MENSES HIBERNOS ANNI CIOCCCLXXXI—LXXXII

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

PVBlice PRIVATIMQVE HABEBVNTVR)

IN EST E. LVEBBERTI DE PINDARI STVDIIIS HESIODEIS ET HOMERICIS DISSERTATIO

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

345469
12. 1. 38.



Digitized by the Internet Archive
in 2014

<https://archive.org/details/depindaristvdiis00lbbe>

RECTOR ET SENATVS

VNIVERSITATIS FRIDERICIAE GVILELMIAE RHENANAE

CIVIBVS

S.

§. 1.

Inter eos fructus floresque, qui hac aetate in philologiae hortis carpandos se offerunt, eximio splendore una eminet quaestio, cuius solvendae paulatim iam tempus legitimum appropinquare videtur: Mythologiae Pindaricae enarratio, qua doceatur, quemadmodum poeta praestantissimus religiones antiquitus traditas nova luce illustrarit. Huic pulcherrimo proposito, non tam unius, quam complurium coniuncta opera perficiendo, ut symbola aliqua oblata praeluderemus, his pagellis de Pindari fontibus mythographiacis, inprimis de Hesiodo et carminibus Homericis quaerere instituimus. Talis autem quaestio duplicem utilitatem promittere videbatur. Primum poesis epica antiquissima, cuius epularum Pindarus non minus frequens et diligens, quam Aeschylus, conviva fuit, fieri non potest, quin e Pindaro magnifice illustretur. Deinde ipsius Pindari ars et ingenii vis rectius aestimabitur, si quales ille fabulas acceperit et quales eas in sua officina edolarit et in sua incude potentissimis ictibus novas reddiderit, demonstraretur.

Duo autem sunt fabularum, quibus Pindarus carmina tanquam gemmis distinxit, fontes: aut enim, quod opinione, longe rarius factum est, ex hominum, quorum laudes celebraturus est, ore fabulas gentilicias accepit earumque se patronum et praeconem praebuit, aut, quod genus longe frequentissimum, antiquiorum carminum thesauros in suum usum convertit.

§. 2.

Prius genus quod caute et circumspecte adhibuit, prudenter egit, nam ibi poetae hoc praestandum erat, ut fabulam novam et nondum auditam sua auctoritate tanquam pignore interposita in hominum notitiam introduceret. Rem ut qualis fuerit adumbremus, exemplum luculentum proponamus, fabulam in carmine Ol. IX, 49—65. Pindarus ibi cum conscius sibi esset, quid auderet, huic conamini quasi veniam expetens hunc in modum praelusit v. 48 αἴνει παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων || νεωτέρων. In carmine deinde ipso componendo satis audacter et confidenter iter suum persequitur, fretus sane et Epharmosti

Opuntii et gentis, e qua ille prodiit, antiquissima fama et testimonio. In fabulis Eleorum, quae publice propagabantur (Paus. V, 1, 3), primus terrae rex est Iovis et Protogeniae, Deucalionis filiae, filius Aethlius. Iam igitur Pindarus huic Aethlio ex Epharmosti eiusque gentilium testimonio fratrem natu maiorem, Opuntem nomine, ipsum quoque Iovis et Protogeniae filium, praefigit, qui ante Aethlium in Elide regnarit. Hic Opus virili quidem prole prorsus caruit, sed unam suscepit filiam, Protogeniam alteram, quam, sicut antea matrem Opuntis, rursus Iuppiter amavit atque gravidam Locro iam seniori, Locrensi regi, nuptum collocavit, ne ille orbus et prole carens fatis opprimeretur; Ol. IX, 59 ἔνικεν || Λοκρῶ, μὴ καθέλοι νιν αἰὼν πότμον ἐφάψαις || ὄρφανὸν γενεᾶς· ἔχεν δὲ σπέρμα μέγιστον || ἄλοχος, εὐφράνθη τε ἰδὼν ἥρωσ θετὸν υἰόν. Eum filium Opuntem vitricus appellavit, avi nomine imposito, v. 63 μάρωσ δ' ἐκάλεσέ νιν || ἰσώνυμον ἔμμεν.

Hunc qualem exposuimus rerum apud Pindarum conexum Boeckhius Explicatt. p. 191 rectissime, ut opinor, demonstravit; aliter paullulum, sed minus recte Dissenius ad v. 55. Pindarus igitur Opuntem illum priorem Eleorum regum seriei praefixum volt, adversus communem de antiquitatibus Eleis famam, ante Aethlium. Audax sane inceptum, sed in ea re haud dubie se patronum et causidicum fecit eorum, quae in Epharmosti Opuntii gente tanquam hereditaria a maioribus ad posteros tradebantur. Eius gentis stirps aliqua in Elide habitabat et ad regem illum Opuntem Eleum vel potius Epeum (Ol. IX, 58 ἀπὸ γὰς Ἐπειῶν Ὀπέοντος) originem referebat. De Opuntiorum familiis, quae in Elide cederint, res nota et saepe illustrata; testis inprimis Strabo IX. p. 425 med. λέγεσθαι δ' Ὀπουντίους τινὰς καὶ ἐν τῇ Ἠλείᾳ φασίν, ὧν οὐκ ἄξιον μεμνήσθαι, πλὴν ὅτι συγγένειαν αὐτῶν ἐξανασκάνονται τοῖς Ὀπουντίοις ὑπάρχουσιν. Plura apud Curtium, Peloponnesos II, 107 init. Mirari possis, quomodo Pindarus Opuntis iunioris, Locrensi regis atque reliquorum eius populi regum proavi, ortum tanquam novum quoddam et inauditum apud Graecos carmine suo celebrare potuerit. Sed nullus scrupulis locus est. Etenim haec fabula minime penes omnes Opuntios recepta erat, immo soli ei, qui in Elide sedes habebant, hanc famam colebant. Reliqui extra Elidem incolentes Opuntem illum, regiae stirpis in Locride auctorem, filium perhibebant Locri herois et Cabyae seu Cambysae, ut testatur Aristoteles in fragmento politicae Opuntiorum apud Plut. Q. Gr. 15 et Schol. Pind. p. 220 med. conf. Rose, Arist. ps. p. 504.

§. 3.

Apparet igitur, in carmine Ol. IX exemplum conspici earum fabularum, quas Pindarus a nobili aliqua gente acceptas suo Marte in publicam poesis arenam introduxit. Verum hoc ut diximus rarius factum. Longe saepius vetustiorum poetarum vestigia legit et suppellectili ab illis oblata utitur. Neque id unquam clam egit, sed rationem aperte indicat, velut Nem. III, 53 λεγόμενον δὲ τοῦτο προτέρων || ἔπος ἔχω· et Pyth. III, 112 Νέστορα καὶ . . . Σαρπηδόνη, ἀνθρώπων φάτις, || ἐξ ἐπέων κελαδεννῶν, τέκτονες οἶα σοφοὶ || ἄρμοσαν, γινώσκομεν· Nem. VI, 61 καὶ ταύταν μὲν παλαιότεροι || ὀδὸν ἀμαξιτὸν εὖρον· ἔπομαι δὲ καὶ αὐτὸς

ἔχων μελέταν. Homerum ter nomine addito tangit Pindarus: Pyth. IV, 277; Isthm. III, 55; Nem. VII, 21; accedit quod Pindarum Cypriorum carmen Homero tribuisse luculento testimonio Aelianus affirmat V. H. IX, 15 ἔδωκεν αὐτῇ (τῇ θυγατρὶ) προῖκα ἔχειν τὰ ἔπη τὰ Κύπρια, καὶ ὁμολογεῖ τοῦτο Πίνδαρος· aliter igitur sensit atque Herodotus II, 117 καὶ ταῦτα τὰ ἔπη δηλοῖ, ὅτι οὐκ Ὀμήρου τὰ Κύπρια ἔπη ἐστίν. Saepius etiam veteres in Scholiis interpretes antiquorum carminum locos, quos Pindarus oculis usurpasse videretur, indicarunt, velut Schol. Pyth. IX p. 401 med. ἀπὸ δὲ Ἡοίας Ἡσιόδου τὴν ἱστορίαν ἔλαβεν ὁ Πίνδαρος, ἧς ἡ ἀρχή· Isthm. V p. 547 med. εἴληπται δὲ ἐκ τῶν μεγάλων Ἡοίων ἡ ἱστορία· Pyth. III p. 331 extr. et p. 328 extr. ἐν τοῖς εἰς Ἡσιόδον ἀναφερομένοις ἔπεσι φέρεται ταῦτα περὶ τῆς Κορωνίδος· Nem. X p. 507 med. παρατίθενται δὲ καὶ τὸν τὰ Κύπρια γράψαντα οὕτω λέγοντα.

§. 4.

In superiorum poetarum fabulis adhibendis paullo liberius Pindarus versatur. Saepe eum in illis offendit color quidam nimis rusticus et ex remota antiquitate obducta aerugo; tradebant interdum de dis immortalibus, quae e Pindari mente impia plane et cum divina maiestate et numine minime concinentia viderentur. Haec ille omnia diligenter absterget fabularumque eam formam efficit, quae purissimam illam rerum divinarum speciem, quae in Pindari mente penitus inhaeserat, reciperet. Nunc uno ex hoc genere exemplo defungamur. Pyth. III, 25—30 fabula narratur de Coronide virgine, Phlegyaee filia, prope lacum Boebeidem. Hanc ardentissime Apollo amaverat; sed mulier mentis levissimae et inconstantissimae cum mortali quodam homine peregrino ex Arcadia, Ischye, Elati filio, quom ipsa ex Apolline gravida esset, novum amoris vinculum novasque nuptias contraxit. Nefandum dilectae mulieris crimen Apollini in Eoearum Hesiodearum carmine corvos nuntiat, Schol. Pind. p. 328 med. τῷ μὲν ἄρ' ἦλθε κόραξ, φράσσειν δ' ἄρα ἔργ' αἰδηλα. Ac fortasse iam apud Eoearum poetam illud poenae genus narratum erat, quo apud Ovidium Apollo infausti nuntii interpretem ulciscitur, Met. 2, 632 inter aves albas vetuit consistere corvom. Poesis enim Hesioidea abundabat metamorphosis; cf. Mellmann, de Causis . . . narrationum de mut. form. Lips. 1786 p. 60. Pindarus fabulae perversitatem indignatus, quasi ne rem quidem ad se maxime pertinentem Apollo sine indice resciscere potuerit, Hesiodum tantum non increpans, certe ὑπόδρα ἰδὼν Pyth. III, 27 αἶεν inquit ναοῦ βασιλεὺς || Λοξίας . . . || πάντα ἴσαντι νόψ· ψευδέων δ' οὐχ ἄπτεται· || κλέπτει δὲ νιν οὐ θεὸς οὐ βροτὸς ἔργοις οὔτε βουλαῖς. Hac igitur ratione antiquas fabulas vates Thebanus perpurgavit, ut in illas tanquam alter quidam Prometheus sanctum animae suae spiritum infundere posset. De altiore illo carminum Pindaricorum sensu alio loco a nobis saepius dictum est.

§. 5.

Nunc iter propositum persequamur, quod eo tendit, ut quae Pindarus ex carminibus Hesioideis et Homericis mutuatus sit, in clara luce collocemus. Primum videbimus de

poesi Hesioidea. Ex ea maxime in quaestionem nunc veniunt Eoeae et Catalogi, inter quae, quae ratio intercedat, optime argumentis demonstravit Bergkii, *Hist. Litt. Gr.* I p. 1004. Tria igitur sunt carmina Pindarica, quae Eoeis sine ulla dubitatione debeantur, qua de re Scholia expressis verbis monent: Pyth. III de Coronide; Pyth. IX de Cyrena; Isthm. V de Hercule et Telamone. De carminis Pyth. III 25—47 fabula supra iam ex parte dictum est. Eoeorum auctor copiose rem prosecutus erat, ut ostendunt fragmenta apud Marckscheffelium: Hesiodi, Eumeli etc. fragm. Lips. 1840 p. 333. Scholiasta Pind. p. 331 extr. Pindaro pro fonte fuisse Eoeorum carmen clare affirmat: τὸν δὲ περὶ τὸν κόρακα μῦθόν φησι (δὲ Ἀρτέμων) καὶ Ἡσίοδον μνημονεύοντα λέγειν οὕτω . . . Nomen corruptoris Coronidis hospitis illius ex Arcadia idem quale Pindarus Eoeorum auctor ediderat apud Schol. l. c. ὅτ' ἄρ' Ἴσχυς ἔγημε Κορωνίην ἢ Εἰλατίδης. De supplicio Coronidis et de partu Aesculapii num in hac fabula Pindarus cum Eoeorum poeta consenserit, non satis constat; sunt enim duo versus apud Schol. Pind. p. 328 med. sine poetae nomine, quos praeunte Boeckhio Marckscheffelius p. 124 ad Coronidis fabulam in Eoeis narratam refert, qui si vere huc referantur, in Eoeis alius narrationis exitus, atque apud Pindarum fuerit necesse est: ἢ δ' ἔτεκ' ἐν μεγάροις Ἀσκληπιὸν ὄρχαμον ἀνδρῶν, ἢ Φοῖβῳ ὑποδμηθεῖσα, ἐυπλόκαμόν τ' Ἐριώπην. Sed ego cum Kinkelio, *Epicor. Gr. fragm.* I. Lips. 1877 p. 136 hos versus ab Eoeis alienos crediderim.

§. 6.

Sequitur carmen Pyth. IX, 12—70 de Cyrena. Schol. p. 401 med. ἀπὸ Ἡοίας inquit Ἡσιόδου τὴν ἱστορίαν ἔλαβεν ὁ Πίνδαρος, ἧς ἡ ἀρχή· Ἡ οἷα Φθίη Χαρίτων ἀπο κάλλος ἔχουσα ἢ Πηνειοῦ πᾶρ' ὕδωρ καλὴ ναίεσκε Κυρήνη. Cyrenam, filiam Hypsei, qui Penei et Creusae filius est (Schol. Pind. p. 402 med.), Apollo conspexit, in Thessalia cum leone, qui regis Eurypyli greges invaserat (Call. hymn. Ap. 92 βῶν σίνιν Εὐρυπύλοιο), fortissime luctantem. Virginis egregiam indolem miratus ilico eam sibi amore et nuptiis coniungere cupit, deque ea re Chironis consilium expetit. Apud Hesiodum haud dubie Chiron serio Apollinem, quid faciendum esset, quaeque proles ex hoc matrimonio proditura esset, edocebat. At Pindarus talem rursus ignorantiam Apolline indignam iudicans Chironem non ut magistrum, sed ut discipulum, quem per iocum praeceptor consulat, conloquentem introducit, v. 42 σέ, τὸν οὐ θεμιτὸν ψεύδει θιγείν, ἢ ἔτραπε μείλιχος ὄργα παρφάμεν τοῦτον λόγον.

Hoc Pindari carmen gravissimae cuidam quaestioni caussam praebuit. Etenim Pindarus narrat, Apollinem virginem pulcherrimam Cyrenam in Libyam abstulisse eamque eius terrae deam factam, v. 69 ἵνα καλλίσταν πόλιν ἢ ἀμφέπει κλειάν τ' ἀέθλοισι. Aristaeum ex hoc coniugio natum esse (v. 65). Quaeritur, num apud Eoeorum quoque auctorem hoc iam huius fabulae supplementum extiterit: in Libyam translata esse Cyrenam. Haec enim narratio orta demum est post conditas Cyrenas, quod factum circa Ol. 39, 1 (624), cf. Schäfer, *Rh. Mus.* vol. 20, 293. Itaque de Eoeorum origine ad tempora admodum recentia revocanda nonnulli critici cogitarunt; Marckscheffelius p. 141 *Quare*, inquit, *pru-*

dentissime ita agemus, ut haec poemata contra antiquitatis auctoritatem a Theogoniae et Operum auctore abiudicemus et post Ol. XXX composita credamus. cf. O. Müller, Orch.² p. 352. Sed viros doctissimos opinio fefellit, uti iam acute intellexit Theodorus Bergkii Hist. Litt. Gr. I, 1005. Nam fabula de Cyrenae et Apollinis amoribus in Thessalia orta antiquissimis temporibus intra Thessaliae fines substitit, et filius eius coniugii Aristaeus tantum abest, ut in sola Libya notus sit, ut multis testimoniis eum et in Thessalia et in insulis, veluti Ceo, cultum esse constet; Schol. Apoll. Rh. II, 498 οἱ τὴν Κέω κατοικοῦντες ἐπεκαλέσαντο Ἀρισταῖον τὸν Ἀπόλλωνος καὶ Κυρήνης ἐκ Φθίας, et notissimi Vergilii versus Georg. IV, 317 *Fastor Aristacus fugiens Peneia Tempe* e. q. s., quae testimonia aliis facile augeri possint. Quare Pindarus eam fabulae partem, quae in Thessalia peragitur, ex Eoeis sumpsit; reliqua, quae in Libya absolvuntur, ex alius poetae, qui Cyrenarum origines fabulosas persecutus erat, opere hausit. Hoc argumentum Ascraeos in Boeotia poetas carminibus enarrasse, O. Müller, Orch.² p. 352 med. suspicatur.

§. 7.

Carmen tertium, in quo Pindarus Eoeas secutus est, est Isthm. V, 35—56, quo loco narratur, quemadmodum Hercules cum expeditionem adversus Laomedontem et Troianos moliretur socium sibi Telamonem arcesserit, Salamine habitantem. Hercules necopinatus advenit, pelle leonis tectus, a Telamone ad coenam vocatur ibique pateram vino repletam attollens ad Iovem precationem convertit, ut Telamonem filio augeat. Statim aquila adparet. Hercules vaticinatur, fore, ut filium praestantissimum fortissimumque Telamon suscipiat, cui ab aquila Aiakis nomen imponi oporteat. Narrationem Pindarus acceptam refert magnis Eoeis, Schol. Pind. p. 547 med. εἴληπται δὲ ἐκ τῶν μεγάλων Ἡοιῶν ἡ ἱστορία, ἐκεῖ γὰρ εὐρίσκεται ἐπιζευόμενος ὁ Ἡρακλῆς τῷ Τελαμῶνι. In ipsa narratione aliquid Pindarus novasse videtur, quod temporum intervallo omnino in Herculis imagine post Hesiodum immutatum fuerat. Hesiodus, quae vetustior ratio est, Herculi arma heroum tribuit; Pindarus pellem leonis et clavam cum arcu et hasta, exemplo Pisandri Camirensis, quem Pindarus cum in aliis de Hercule fabulis, tum in hac re sequitur. Strabo XV, 688 ἡ τοῦ Ἡρακλέους δὲ στολή ἡ τοιαύτη πολὺ νεωτέρα τῆς Τρωικῆς μνήμης ἐστὶ, πλάσμα τῶν τὴν Ἡράκλειαν ποιησάντων, εἴτε Πείσανδρος ἦν εἴτ' ἄλλος τις. Pindarum speciem hanc recentiorem significare voluisse hoc loco controversiis sane agitato probabile est: Isthm. V, 37 τὸν μὲν ἐν ῥινῷ λέοντος στάντα κελήσατο νεκταρέαις σπονδαῖσιν ἄρξαι || καρτεραίχμαν Ἀμφιτρωνιάδαν. Scholia sane discordant inter se, cum nonnulli e veteribus eruditis ἐν ῥινῷ λέοντος στάντα de pelle intelligant pedibus substrata, alii rursus interpretentur: „pelle leonis indutum“; commixtam et confusam duplicem hanc interpretationem hoc scholion ostendit p. 547 med. τοῦτον μὲν ἐν ῥινῷ λέοντος ἰδὼν ὁ Τελαμῶν τὸν Ἡρακλέα ἄφνω ἐφροσῶτα ἐν τῇ δορᾷ παρεκελεύσατο αὐτῷ, ὡς ἦκεν ἐκ τῆς ὁδοῦ, σπένδειν· τουτέστι μὴ ἀποθέμενον τὸ δέρμα, ἀλλ' ὡς εἶχεν. Epitheton, quod sequitur καρτεραίχμαν, quod pellem leoninam exclu-

dere et arma heroica poscere nonnullis videbatur, caussa fortasse dubitandi fuit, sed iniuria. In Hesiodi loco pellis leonis memorata erat, sed ut tapete pedibus substratum.

In verbis v. 46 λίσσομαι . . . || ἀνδρὶ τῷδε ξεῖνον ἀμὸν μοιρίδιον τελέσαι haec ipsa codicum lectio servanda est. Nam quod Hercules ibi puerum, quem genitum iri praedicit, sibi hospitem futurum sperat, non absonum est. Simili ratione Hercules Aeaci ξείνος vocatur Nem. VII, 86, cum Telamonis proprie fuerit hospes et aequalis. Hospitia hereditaria sunt.

Quaeri denique possit, utrum narratio de Herculis ad Telamonem adventu in Eoearum parte ea, quae ad Herculem pertinebat, extiterit, an Aeacidarum seorsum quaedam in Eoeis memoria fuerit. Herculis res gestas in Eoeis copiosius tractatas esse veri simillimum est. Huc accedit, quod apud Pindarum in illo priore bello Troiano Hercules semper primas partes agit. Aeacidarum contra in fragmentis Eoearum nulla vestigia reperiuntur. Quare illud de Herculis in Salaminem adventu episodium Eoeae notissimae de Hercule pars fuerit, cuius initium in Scuto habemus v. 1—56.

§. 8.

Posteaquam tribus speciminibus certissimis intelleximus Eoeas Pindaro pro exemplo fuisse, quod imitaretur, videndum nunc est, num aliis quoque locis, in quibus testimoniis careamus, ratiocinatione et coniectura aliquod indicium studiorum a Pindaro in Hesiodo collocatorum eruere possimus. Primum in hoc genere locum obtinet carmen Ol. I, 25—96, in quo Pelopis fata, iuventus, certamen cum Oenomao, nuptiae, describuntur. Harum rerum aliquam in Eoeis memoriam extitisse certum est. Pausanias VI, 21, 10 sedecim Hippodamiae procorum, quos ante Pelopis adventum Oenomaus trucidaverit, indicem exhibet, teste usus magnarum Eoearum auctore κατὰ τὰ ἔπη τὰς μεγάλας Ἡοίας. His procis sacra Olympiae quotannis fiebant, Paus. VI, 21, 9. Sed Pausanias numerum eum, quem in Eoearum carmine invenerat, aliis fontibus inspectis, lectore non admonito, auxisse videtur; nam Hesiodus teste scholiasta, non sedecim, sed tredecim nomina eumque numerum ut vere Hesiodeum tradiderat; Schol. Pind. p. 41 med. Μέρμης, Ἰππόθοος κτλ. τούτῳ τῷ ἀριθμῷ τῶν ἀπολωλότων μνηστήρων καὶ Ἡσίοδος . . . συμμαρτυρεῖ. Porro in scholiis in altero quodam indice nomina procorum ex parte diversa afferuntur, sed universus numerus sibi constat: τινὲς δὲ καὶ τοὺς δέκα τρεῖς οὕτω. Fuerunt sane, qui quindecim nominarent. Sed in carminis Hesiodi procorum numero indicando scholiasta prorsus fide dignus videtur. Itaque cum Pindarus tredecim fuisse dicat, prorsus cum Hesiodo consentit, Pind. Ol. I, 81 ἐπεὶ τρεῖς τε καὶ δέκ' ἄνδρας ὀλέσαις || μναστήρας ἀναβάλλεται γάμον || θυγατρὸς. Hoc documento esse possit, Pindarum Eoeas in hac fabula oculis usurpasse.

Accedit aliud argumentum. Vidimus supra, Pindarum saepius Eoearum narrandi genus nimis rusticum correxisse. Idem facit in hoc carmine singulari cum gravitate. Initio fabulae famam de κρεουργίᾳ Pelopis commemorat; dicendi genus quo ibi Pindarus utitur vix aliter explices, quam ita, ut vetustius aliquod carmen castigare videatur; v. 30

ψεύδεσι ποικίλοις ἔξαπατῶντι μῦθοι· || Χάρις δ' ἄπερ ἅπαντα τεύχει τὰ μείλιχα θνατοῖς, || ἐπιφέροισα τιμὰν καὶ ἄπιστον ἐμήσατο πιστὸν || ἔμμεναι τὸ πολλάκις. Huic famae ut indignissimae deorum maiestate Pindarus se opponit. Iam Prellerus ex his argumentis prudenter collegit, fabulam, quam impugnat Pindarus, ex Eoeis depromptam esse Mythol. Graec. II³, 384 not. 2.

Hoc loco adnotasse e re erit, ad harum fabularum aetatem recte aestimandam, fabulas de Pelope Pisaeas, quarum nulladum apud Homerum notitia est, ortas esse post tempora migrationis quae vocatur Heraclidarum. Hoc acute demonstravit E. Curtius, Pelop. II p. 47 et 107 testimonio Pausaniae V, 4, 3, qui Oxylum narrat oraculum Delphicum acceperisse, quo praecipiebatur τὸν Πελοπίδην ἐπάγεσθαι συνοικιστήν. Cui monito obsecutum Oxylum sibi adiunxisse Agorium quendam: εὖρεν Ἀγώριον τὸν Δαμασίου τοῦ Πενθίλου τοῦ Ὀρέστου, καὶ αὐτόν τε ἐξ Ἑλικῆς τῆς Ἀχαιῶν καὶ . . . μοῖραν τῶν Ἀχαιῶν ἐπηγάγετο οὐ πολλήν. Iam suspicari in proclivi est, hanc potissimum Pelopidarum stirpem Pisae consedissee ibique fabulas suas gentilicias cum indigenis fabulis commiscuisse.

§. 9.

Ex Hesiodi Catalogis verisimillimum est haustam esse narrationem carminis Ol. X, 24—42, qua Herculis adversus Augiam et Actoriones bellum traditur. De Actorionibus, Euryto et Cteato, Hesiodus in Catalogis accuratius exposuerat; formam eorum Hesiodus hanc statuerat, ut duo corpora separata in media parte, ubi cingulum adpronitur, coaluisse fingeret. Schol. Il. λ 709 τερατώδεις τινες ἦσαν, ὡς Ἡσίοδος, ἄμφω ἐν ἐνὶ σώματι ὄντες. Schol. Il. ψ 638 Ἀρίσταρχος δὲ διδύμους ἀκούει . . . τοὺς διφυεῖς, δύο ἔχοντας σώματα, Ἡσιόδῳ μάρτυρι χρώμενος, καὶ τοὺς συμπεφυκότας ἀλλήλοις. Eustathius ad Il. λ 749 p. 83 (ed. Lips.) formam ab Hesiodo adumbratam exprimere videtur: ὁ μῦθος (i. e. Hesiodus, ut opinor,) . . . διφυεῖς πλάττει τῷ σώματι, ἕως πλευρῶν συνημμένους, ὡς καὶ ὑπὸ μιᾷ ζώνῃ ἅμα ζῶνυσθαι, δυάζων αὐτοῖς τὰς κεφαλὰς καὶ ὄμματα ὑπανοίρων τέτταρα καὶ χεῖρας τοσαύτας προτείων. conf. Marcksch. p. 281. Huius imaginis expressa vestigia apud Pindarum quidem non extant, licet eius verba minime repugnent; tamen accurata illa corporis Actorionum apud Hesiodum descriptio argumento est, uberiores aliquam rerum, quas gesserint, memoriam extitisse. Fama eius cladis, qua Molionidae Herculem in Elidis convallibus affixerunt, celebratissima est. In Arcadiae regione vicina heroum clarissimorum, qui in comitatu Herculis ceciderant, sepulcra ostendebantur: Iphiclis Paus. VIII, 14, 9; Telamonis Paus. VIII, 15, 5. 6; Chalcodontis Paus. VIII, 15, 6; denique Dameonis Phliasii Paus. VI, 20, 16, quem ut Taraxippum Elei in stadio Olympico venerabantur. Aelianus V. H. IV, 5 trecentos sexaginta Cleonaeos cum Hercule ad hoc bellum exisse et cecidisse tradit. Hoc igitur famosissimum bellum argumentum, opinor, copiosum Hesiodo praebebat in illa Catalogorum parte, qua Molionidas tractavit. Pindarus Tirynthios potissimum in exercitu fuisse narrat v. 31 πρόσθε ποτὲ Τιρύνθιον || ἔπερσαν αὐτῷ στρατόν. Ludorum Olympicorum institutionem in Catalogis memoratam fuisse, probabile non est.

§. 10.

Accedimus nunc ad eos carminum Pindaricorum locos, in quibus Telamonis res gestae, quas una cum Hercule in illa adversus Troiam et Laomedontem expeditione peregit, afferuntur. Harum fabularum saepius Pindarus memor est propter carminum in Aeginetarum honorem compositorum multitudinem. In carminibus Aegineticis lege sanctum erat, ut Aeacidarum semper laudes in aliqua saltem digressionem tangerentur. Isthm. V, 19 ὕμνε τ', ὦ χρυσάρματοι Αἰακίδαί, || τέθμιόν μοι φαμί . . . ἔμμεν . . . ραίνεμεν εὐλογίας. Nem. IV, 33 τὰ μακρὰ δ' ἐξενέπειν ἐρύκει με τεθμός i. e. lex carminis de Aeacidis celebrandis. Narrationes de Telamone Pindarus ex ea Eoearum parte hausit, qua Herculis adversus Laomedontem et Troianos expeditio descripta erat; Telamonem enim semper Pindarus non suo Marte, sed in Herculis comitatu pugnantem commemorat. Loci apud Pindarum sunt: Nem. IV, 25–32 bellum Troianum, bellum adversus Meropes in Co insula, certamen cum Alcyone gigante, quo in proelio in primo impetu gravem cladem Hercules perpressus est: v. 32 ἐπεὶ ῥέζοντά τι καὶ παθεῖν ἔοικεν. Isthm. V, 27–35 et Nem. III, 36–39, quo loco pugna adversus Amazones, in qua Telamon cum Iolao Herculi fidissimum se socium praebuerit, adumbrata est: v. 37 καὶ ποτε χαλκότοξον Ἀμαζόνων μετ' ἄλκην || ἔπετό οἱ· οὐδέ μιν ποτε φόβος ἀνδροδάμας ἔπαυσεν ἀκμὴν φρενῶν.

Felicissimo casu accidit, ut ipsos Eoearum versus, quibus Telamonis strenua virtus in hoc certamine illustratur, manibus, ut videtur, teneamus, ac mirum est, hoc neminem dum animadvertisse. Extant praestantissimi versus poetae sane nomine non indicato apud Schol. Pind. Nem. III, p. 445 med.

Τελαμὼν ἀκόρητος αὐτῆς
ἡμετέροις ἐτάροισι φῶς πρῶτιστος ἔθηκεν
κτείνας ἀνδρολέτειραν ἀμώμητον Μελανίππην,
αὐτοκασιγνήτην χρυσοζώνοιο ἀνάσσης.

§. 11.

Welckerus quidem Cycl. Ep. I², 300 in subtilissima commentatione de Hegesinoi Atthide seu Amazonide ex hoc ipso carmine versus illos depromptos censet argumentatione tali usus.

Theseus secundum nonnullos fabularum auctores Herculem in expeditione adversus Amazones comitatus erat una cum Iolao et Telamone. Superatis deinde hostibus et urbe eorum capitali Themiscyra capta Theseus propter egregiam virtutem, plurimis proeliis probatam, Antiopam ab Hercule praemii loco acceperat. Testis Philochorus apud Plut. Thes. 26 ὡς μὲν Φιλόχορος καὶ τινες ἄλλοι λέγουσι, μετ' Ἡρακλέους ἐπὶ τὰς Ἀμαζόνας συστρατεύσας καὶ γέρας ἀριστείων Ἀντιόπην ἔλαβεν. conf. Welcker l. c. p. 294. Antiopam non armis tantum captam, sed amore iam quoque sibi devinctam Athenas advehit. Aliquot annis post

Amazones Atticam invadunt et castris in Areopago positis Theseum bello diuturno oppugnant, contra sorores fortissime ad latus Thesei pugnante Antiopa. Hoc bellum Hegerinus in Atthide seu Amazonide enarraverat; eius carminis lineamenta, uti solet, mirifica plane divinandi arte pinxit Welckerus l. c. Illorum autem de Telamone versuum apud Scholiastam Pindari hanc rationem esse statuit, ut ex oratione aliqua Thesei sumpti videantur, qua Theseus, quomodo olim Antiopa potius sit, audientibus exposuerit; Welck. l. c. p. 300.

Sed haec Welckeri coniectura licet speciosissima atque blandissima sit, nonnullis tamen difficultatibus impedita est. Non intellegitur, cur Theseus tam copiosus et eloquens in Telamonis laudibus praedicandis fingatur. In Eoeis certe, in quibus Herculis eiusque comitum res gestae ampliter et dilucide enarratae erant, longe illi versus accomodatioris aptioresque erant. Ne illud quidem me movet, quod, quemadmodum ostendit vox ἡμέτεροις, verba ex oratione quadam deprompta sunt; nam Eoeas quoque orationum luminibus distinctas fuisse, documento est carmen Isthm. V, de quo supra data opera diximus. Quod ad ipsam rem, quae narratur, attinet, non omnes poetae Melanippam a Telamone interfectam tradiderunt; immo posteriores, quibus Diodorus usus est, Melanippam captam et cinculo Hippolytae spoliolum loco tradito solutam esse, plane secus atque versus illi supra allati, testantur; Diod. IV, 16 Μελανίππην δὲ ἀπελύτρωσεν (ὁ Ἡρακλῆς) ἀντιλαβὼν τὸν ζωστήρα. His omnibus perpensis affirmare licebit, carminum Pindaricorum locos de Telamone, quos supra adscripsimus, ex magnis Eoeis sumptos esse.

§. 12.

Agendum nunc est de eis carminum Pindaricorum locis, quibus reliquorum Aeacidarum, Telamone excepto, memoriam persequitur, Pelei potissimum et Aeaci fata. Has fabulas Pindarus non ex Eoeis, sed ex Catalogis mutuatus est. In Catalogis latissime patebat Aeacidarum historia; cf. Marcksch. p. 312 et 286. De Aegina, Asopi filia, agitur Isthm. VII, 17—23; Nem. VIII, 6. Sed cum Hesiodus haud dubie Asopum pro eius fluvii, qui Phliasiorum et Sicyoniorum fines irrigat, deo habeat, conf. Marcksch. p. 312, Pindarus Asopum Boeotiae fluvium patrem Aeginae et Thebae sororum volt; Pind. Isthm. VII, 18 πατρὸς οὐνεκα δίδυμαι γένοντο θύγατρεις Ἀσωπίδων ἢ ὀπλόταται. Paus. II, 5, 2 Θηβαῖοι δ' οὐχ ὁμολογοῦσι, φάμενοι τοῦ Βοιωτίου τὴν Θήβην Ἀσώπου καὶ οὐ τοῦ παρὰ Φλιασίοις εἶναι. Myrmidonum antiquissimae haud dubie sedes in Phthiotide vicinisque, versus meridiem ad Oetae montis radices, regionibus fuerunt; in Iliade certe Aegina insula ut Myrmidonum patria nondum nota. Hinc sequitur, Asopum illum Phliasium in antiquioribus Hesiodo fabulis nondum pro Aeginae patre habitum esse. Verum ne illa quidem Boeotorum fabula de Asopo Boeotico Aeginae patre ullam antiquitatis commendationem habet, nam a Boeotia Myrmidones plane alieni. Haec omnia secum reputans acutissima coniectura Henricus Ditericus Müller: Mythologie der Gr. Stämme I (Gotting. 1857) p. 77 eo adductus est, ut in vetustissimis maximeque incorruptis fabulis tertium quendam Asopum,

qui fluvius Trachiniam et Maliorum fines percurrit, pro divino Aeginae, Aeacidarum matris, patre celebratum esse statueret. De Trachiniae Asopo saepe auctores antiqui loquuntur eiusque memoria pervolgata; Herod. VII, 199 ἔστι διασφάξ πρὸς μεσημβρίαν Τρηχίνας, διὰ δὲ τῆς διασφάγος Ἀσωπὸς ποταμὸς ῥέει. Strabo VIII, 382 ἔστι δ' Ἀσωπὸς καὶ ὁ παρὰ Θήβας ῥέων . . . , ἄλλος δ' ἔστιν ἐν Ἡρακλείᾳ τῇ Τραχινίᾳ . . . , τέταρτος δ' ὁ ἐν Πάρῳ.

§. 13.

Praeterea ad Aeacidarum fabulas respiciunt loci: Nem. VIII, 6 de Iovis et Aeginae coniugio; Nem. VIII, 10 Aeacus ab omnibus Graeciae principibus cultus; Ol. VIII, 31—47 Aeacus moenia Troiae cum Apolline et Neptuno aedificans. De Aeaci filii Telamone et Peleo Pindarus neque cum Homero neque cum Pherecyde consentit. Pindarus fratres eos fuisse, ubique clarissime, nulla unquam dubitatione interposita, praedicat, velut Nem. V, 10—15. Homerus hoc cognationis vinculum nullo unquam indicio agnoscit; Pherecydes quoque Peleum et Telamonem amicos fuisse affirmaverat; fratres praeefracte negarat, apud Apollod. III, 12, 6, 7 Φερεκύδης δὲ φησι Τελαμῶνα φίλον, οὐκ ἀδελφὸν Πηλέως εἶναι, ἀλλ' Ἀκταίου παῖδα καὶ Γλαύκης τῆς Κυχρέως. Quaeritur, quid Hesiodus in Catalogis tradiderit de Telamonis et Pelei cognatione. Auctores, qui in Pauly, Real-Encycl. s. v. Aeacus p. 201 extr. (ed. II) in hanc rem inquisiverunt, contendunt, nullum esse antiquiorem Pindaro testem, qui fratres eos heroes fuisse tradat. Hoc paullo calidius pronuntiatum videtur. Nam Hesiodus apud Schol. Pind. Nem. III, p. 442 init. Aeacum in Aegina insula Myrmidonibus imperantem, quem populum ex formicis Iuppiter elicuerit: ὄσσοι ἔσαν μύρμηκες ἐπηράτου ἔνδοθι νήσου || τοὺς ἄνδρας ποίησε βαθυζώνους τε γυναῖκας, luculento locupletique testimonio affirmat. Itaque vix credibile est, Hesiodum in ea sententia fuisse, Peleum solum Aeaci filium, Aeginae natum, fuisse, Telamonem ab Aeaco prorsus alienum esse. Quae cum ita sint, in re gravissima Pindarum a Catalogis pendentem, cum Homero et Pherecyde discordantem videmus.

Loci vero quibus Pindarus Pelei et fratrum, Telamonis et Phoci, fata prosequitur sunt hi: Nem. V, 10 Precatio communis fratrum pro Aeginae patriae salute; Nem. V, 15 Phoci nex et fuga fratrum πῶς δὴ λίπον εὐκλέα νᾶσον καὶ τίς ἄνδρας ἀλκίμους || δαίμων ἀπ' Οἰνῶνας ἔλασεν. De Peleo solo plurimis locis agitur, qui omnes ex Catalogis hausti sunt: Nem. III, 33; Nem. IV, 55; Nem. V, 26. Maxima laus Pelei et probitati et castitati tribuitur, qui cum Hippolyta, Acasti uxor, Crethei filia, amore flagranti eum circumvenire et pellicere temptasset, tamen restitit, hospitii legum sanctitatis memor. Acastus ab uxore fraude et mendacio deceptus Peleum interimere cupit, quam rem copiose et luculenter Hesiodus in Catalogis narraverat, Schol. Pind. Nem. IV, p. 456 extr. Haec ab Pindaro Nem. IV, 59 significantur. Acastus a Peleo bello opprimitur: Nem. III, 34 ὃς καὶ Ἰωλκὸν εἶλε μόνος ἄνευ στρατιᾶς. In hac narratione ἄνευ στρατιᾶς notandum; nam fuerunt, qui traderent, Peleum Iasonis demum et Dioscurorum auxilio victorem discessisse, velut Pherecydes Schol. Pind. Nem. III, p. 444 extr. οὐ γὰρ μόνος εἶλε τὸν Ἰωλκὸν, ἀλλὰ μετὰ

Ἰάσονος καὶ τῶν Τυνδαριδῶν, ὡς ἱστορεῖ Φερεκύδης. Pindarus honorificentius de Peleo refert; Schol. p. 444 extr. δοκεῖ δὲ ὁ Πίνδαρος διὰ τὸν Αἰγινήτην (scr. τοὺς Αἰγινήτας) χαρίζεσθαι τῷ Πηλεΐ.

§. 14.

Quaeritur nunc, quid in eis carminibus, quibus Argonautarum fabulas Pindarus tangit, ex Hesiodi Catalogis hauserit; Argonautarum enim expeditionem Hesiodus tertio libro enarraverat, Schol. Apoll. Rh. II, 181 ἐν τῷ γ' Καταλόγων, de Phineo. Strab. VII, 302 Ἡσίοδος ἐν τῇ καλουμένῃ γῆς περιόδῳ. cf. Marcksch. p. 303 et Bergk, Hist. Litt. Gr. I, p. 1002. Harp. s. v. ὑπὸ γῆν οἰκοῦντες . . . τοὺς ὑπὸ Ἡσίοδου ἐν γ' Καταλόγου Κατουδαίους ὀνομαζομένους. Primum igitur facile rerum conexum non nimis acriter intuenti haec se coniectura offerat, fieri potuisse, ut in carmine Pyth. IV stemma illud clarissimum Euphemidarum, quod per septendecim propagines ab Euphemo ad Battum deducebatur, unde reges Cyrenenses prognatos se praedicabant, Pindarus ex Hesiodo hauserit. Stemma quatenus quidem restitui potuit, typis excipit O. Müller, Orchomenos p. 459 (ed. II). Sed haec coniectura iam ipso fundamento vacillat, quoniam Pindarus ipsius Euphemi, qui parens et auctor huius gentis est splendidissimus, plane diversam habet genealogiam ab ea, quae in Eoeis traditur. Hoc quidem clarissimis testimoniis evincitur. Pindarus Pyth. IV, 45 Εὐφάμος . . . υἱὸς ἰππάρχου Ποσειδάωνος ἀναξ, || τὸν ποτ' Εὐρώπα, Τιτυοῦ θυγάτηρ, τίκτη. Contra Eoeorum auctor Schol. Pind. p. 346 extr. Ἡ οἷη Ὑρή πικινόφρων Μηκιονίκη, || Ἡ τέκεν Εὐφημον Γαιόχῳ Ἐννοσιγαίῳ. Mecionica vero Eurotae filia est Schol. Pind. p. 345 med. παῖς . . . Μηκιονίκης τῆς Εὐρώπα θυγατρός. Erunt fortasse, qui obiciant, fieri potuisse, ut, sicut aliis locis, ita in Euphemi quoque originibus Catalogorum auctor ab Eoeis discederet; sed huius rei in hac genealogia ne tenuissimum quidem vestigium demonstrari potest; itaque ab hac coniectura abstinendum censeo.

§. 15.

In variis de Argonautarum rebus gestis narrationibus Pindarum valde probabile est Hesiodum consuluisse: velut Iasonem in antro Chironis et Philyrae educatum noverat Hesiodus ap. Schol. Pind. p. 446 med. ὃν Χείρων ἔθρεψ' ἐν Πηλίῳ ὑλήεντι. Pindarus Nem. III, 52 λεγόμενον δὲ τοῦτο προτέρων || ἔπος ἔχω· βαθύμητα Χείρων τράφε λιθίνῳ || Ἰάσον' ἔνδον τέγει. cf. Pyth. IV, 102; Pyth. VI, 22. Fabulam de Ergino Ol. IV, 20 probabiliter statuas Pindarum ab Hesiodo mutuatum esse. Maxime vero notatu dignum est quod de Pindari et Hesiodi consensu quodam in Argonautarum cursu eo, quo in patriam redierunt, describendo traditur. Ambobus hoc commune fuit, ut Argonautas ad Libyae littora appulisse et per Libyae fines navem Argo humeris suis gestasse narrarent, teste Schol. Apoll. Rh. IV, 259 Ἡσίοδος καὶ Πίνδαρος . . . καὶ Ἀντίμαχος ἐν Λύδη διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ φασιν ἐλθεῖν αὐτοὺς εἰς Λιβύην καὶ βαστάσαντας τὴν Ἀργὴν εἰς τὸ ἡμέτερον πέλαγος γενέσθαι. Dolent-

dum est quod horum trium poetarum memoria non discreta est; nunc ut res se habet, hoc testimonium non ab omni confusionis suspicione immune videri possit. Non magnam certe ad persuadendum vim habere videtur Th. Bergkio, *Hist. Litt. Gr. I*, 1006.

§. 16.

Praeter Eoëas et Catalogos Pindarus vestigia Cypriorum carminis secutus est in luculentissimis quibusdam fabulis enarrandis. Praeclarum huius imitationis exemplum est *Nem. X*, 55—90 narratio de Dioscuris. *Schol. Pind. p. 507 med.* παρατίθενται δὲ καὶ τὸν τὰ Κύπρια γράψαντα οὕτω λέγοντα· Αἴψα δὲ Λυγκεύς || Ταύγετον προσέβαινε ποσὶν ταχέεσσι πεποιθώς κτλ. Pindarus proelium Dioscurorum et Apharetidarum v. 60 ἀμφὶ βουσὶν ortum dicit, atque haec fama, ut optime demonstravit Welckerus, *Cycl. Ep. II*, p. 97, vetustior est, quam illa, qua propter Phoebam et Hilairam virgines discordiae exarserint. *Apollodorus III*, 11, 2, 3 ambas narrationes consociavit atque cum recentioris fabricae particulis alia commiscuit, quae summae antiquitatis colore obducta sunt; cf. *Preller, Myth. Gr. II*³, 95. In una re Pindarus a Cypriorum poeta recedit: *Nem. X*, 62 solum Castorem in cava quercu absconditum narrat; etenim Aristarchi lectio ἡμενον antiquae lectioni ἡμένως, quam Didymus ἡμένους interpretabatur, propter sequentis narrationis v. 65 αὐτίκα γὰρ κτλ. colorem praefenda est. Cypria contra ambos in illa latebra consedissee tradiderant, *Schol. Pind. p. 507 med. vers. 4* εἰσίδε κύδιμος ἥρως || . . . ὀφθαλμοῖσιν ἔσω δρυὸς ἄμφω κοίλης. Versum lacuna laborantem Boeckhius, *Nott. critt. p. 554* Heynio praeunte supplevit scribens ὀφθαλμοῖσιν ἔσω κοίλης δρυὸς ἡμένω ἄμφω.

Ex Cypriis deprompta est *Pind. Isthm. VII*, 32—47 historia notissima de Themidis vaticinio et de Thetidis nuptiis. Item venustissima narratiuncula *Nem. III*, 43—58 de Achillis pueritia. Deinde *Ol. II*, 90 proelii, quo Achilles cum Cycno confligit, significatio: Κύκνον τε θανάτῳ πόρεν. Magnopere vero cognitu dignum illud carminis *Ol. IX*, 67—79 episodium ex Cypriis haustum, quo Pindarus prima amicitiae, quae Achilli cum Patroclo fuit, initia quomodo orta sint, narrat. In proelio adversus Telephum, Herculis filium, cum ceteri Graeci omnes fugam capesserent, solus Patroclus Achillis lateri affixus mansit, v. 72 ἔστα σὺν Ἀχιλλεῖ || μόνος . . . || ὥστ' ἔμφρονι δείξει || μαθεῖν Πατρόκλου βιατὰν νόον. *conf. Isthm. IV*, 40 sq. De maioribus Patrocli *carm. Ol. IX*, 69, ubi Patroclus Actoris et Aeginae, quam post Aeacum editum Actori Iuppiter nuptum dedit, filius vocatur, Pindarus opinor cum Cypriis consentiebat. Alium denique quendam subtilissimum consensum Welckerus, *Cycl. Ep. II*, 138 sq. notavit. Pindarus in proelio Achillis cum Telepho narrando *Isthm. VII*, 49 de Achille dicit: ὃς καὶ Μύσιον ἀμπελόεν || αἶμαξε Τηλέφου . . . φόνῳ πεδίον. Adiectivum ἀμπελόεν spectat ad narrationis proprietatem quandam, *Schol. II. α*, 59. 60 ἐν τῷ τρέχειν ἀμπέλου κλήματι ἐμπλακεῖς τὸν μηρὸν τιτρώσκειται.

§. 17.

Transimus ad Aethiopidis in Pindari carminibus vestigia, quo primum pertinet locus Pyth. VI, 28—42 de Antilocho, qui, summae erga parentes pietatis exemplum, pro Nestore, quem Memnon urget, suam morti vitam offert. Causa gravissimi, quo premebatur Nestor, discriminis haec fuit: Pyth. VI, 32 Νεστόρειον γὰρ ἵππος ἄρμ' ἐπέδα || Πάριος ἐκ βελέων δαιχθείς· ὁ δ' ἔφεπεν || κραταῖον ἕγχος. Hic locus documento est, quid de quarundam Iliadis partium antiquitate et origine existimandum sit. In Iliade θ, 81 Nestor in summum vitae discrimen adducitur eadem de causa; Paris unum ex equis volneravit: ἵππος ἐτείρετο, τὸν βάλεν ἰψ̄ || δῖος Ἀλέξανδρος. Quaerere possis: ὦ Ὅμηρε καὶ Ἀρκτίνε, πότερος πότερον ὑμῶν ἀπεμμήσατο; Sed, nisi omnia fallunt, narratio in Aethiopide antiquior videtur; accedit quod Il. θ, 81 ἵππους pluralis non convenit cum bigarum in Iliade usu; conf. Welcker, Cycl. Ep. II, 366 not. Quintus Smyrnaeus 2, 258 totam rem satis ieiune refert.

Praeterea ex Aethiopide sumpti sunt hi loci: Nem. III, 62 et Nem. VI, 57—60 de Memnonis morte. Deinde locus maxime conspicuus Nem. VIII, 23—34 Ajax in armorum iudicio ab Ulixē oppressus, et eadem narratio Isthm. III, 53 et Nem. VII, 24—30. Armorum iudicium et Aiakis mors tam in Aethiopide quam ab Lesche poeta in Iliade parva tradita erant; cf. Kinkel p. 35 sq. Sed hoc inter duas has narrationes intererat, quod Arctinus nondum Aiakis in greges pecorum impetum vesanum noverat; Lesches primum hoc devtericulum introduxit, qua de re cum alii subtiliter egerunt velut Lobeckius ad Aj. v. 285, tum Welckerus l. c. II, 179 sq. Pindarus pulchriorem et Aiace digniorem eam narrandi formam iudicavit, quam Arctinus praeiverat, cuius de Aiakis furore primum incipiente pulcherrimi versus servati sunt Schol. Il. λ, 515, ubi solus Podalirius oculorum sinistro fulgore rem auguratur, πρῶτος μάθε χωμόνειο || ὄμματά τ' ἀστράπτοντα βαρυνόμενον τε νόημα. Nullo alio insaniae signo edito apud Arctinum Ajax proximae noctis primo mane diluculo mortem sibi consciscit. Idem sensit et rerum peritis subtiliter significavit Pindarus Isthm. III, 53 ὄψια ἐν νυκτί. Schol. Pind. p. 534 init. τὸ πρὸς ἔω, ὅτε ἐστὶ τῆς νυκτὸς ὀψὲ πρὸ τοῦ ὄρθρου . . . ὁ γὰρ τὴν Αἰθιοπίδα γεγραφῶς (vid. Kinkel p. 34) περὶ τὸν ὄρθρον φησι τὸν Αἴαντα ἑαυτὸν ἀνελεῖν.

Tres praeterea loci ad Achillis mortem spectantes ex Aethiopide hausti sunt: Pyth. III, 100 et Isthm. VII, 56 de funere Achillis et Ol. II, 87 illa paucissimorum verborum, sed mirae dulcedinis narratio de Thetide, filium suum, posteaquam Iovem exoravit, in insulas beatorum asportante.

§. 18.

Ex parva Iliade locus depromptus est Pyth. I, 50—55 de Philocteta, qui licet ex vulnere graviter aegrotaret, Troiam tamen victor ceperit: ὃς Πριάμοιο πόλιν πέρσεν τελεύ-

τασέν τε πόνους Δαναοῖς || ἀσθενεῖ μὲν χρωτὶ βαίνων. conf. Leschen ap. Proclum p. 36 ed. Kinkel. Ex Nostis hausit Pindarus Pyth. XI, 19—34 locum de Agamemnonis caede, quamquam in hac fabula enarranda Pindarus Stesichori magis Orestiam ante oculos habuisse videtur; nam ut alia mittamus, iam unum, quod gravissimum est, alter cum altero commune habet: Agamemnonem Amyclis regnantem et interfectum ambo tradunt. Pind. Pyth. XI, 32 θάνεν . . . ἴκων χρόνῳ κλυταῖς ἐν Ἀμύκλαις. Schol. Eurip. Orest. 46 Ὅμηρος ἐν Μυκῆναις φησὶν εἶναι τὰ βασίλεια Ἀγαμέμνονος, Στησίχορος δὲ . . . ἐν Λακεδαιμονίᾳ. conf. de Duhn, de Menelai itinere Aegyptio, Bonnae, 1874, p. 26.

Nostorum deinde memor esse possit, qui de loci Pindarici Nem. VII, 36—43 fonte quaerat. Narratur Neoptolemi e bello Troiano reditus, adventus ad Molossos, denique caedes apud Delphos. Sed Procli de Neoptolemo in Nostis testimonium (Kinkel p. 53) αὐτὸς δὲ εἰς Μολοσσοὺς ἀφικόμενος ἀναγνωρίζεται Πηλεῖ illi coniecturae non favet. Fortasse brevius, uti solet, Proclus locutus est, sed pleniora testimonia adhuc desiderantur.

§. 19.

Postremo loco non inutile erit quaerere, quid Iliadi Pindarus debeat. In hanc rem data opera inquisivit vir eruditissimus acutissimusque F. A. Paley: Homeri quae nunc extant an reliquis cycli carminibus antiquiora iure habita sint, Londinii, 1878, praecipue p. 32. Contendit Paleyus, neque Pindarum neque ullum eius aetatis scriptorem eam, quam nos habemus, Iliadis formam cognitam habuisse, immo Antimachi demum et Platonis aetate eam formam natam esse. Hoc cum aliis multis argumentis intellegi, tum ea re, quod Pindarus, cum saepissime ad diversa Cycli Epici carmina respiciat, rarissime earum rerum, quae in Iliade enarrentur, aliqua notitia imbutus videatur. Atque verum omnino hoc est: qui paullo accuratius ad hanc rem in Pindaro legendo animum attenderit, eum non poterit non offendere haec rerum gravissimarum in Iliade apud Pindarum sive ignorantia sive contemptio. Velut ubi de Achillis et Patrocli amicitia celebratissima agit, tantum abest, ut Iliadis ei in mentem veniat, ut solam illam primam apud Caicum pugnam adversus Telephum nosse videatur: Isthm. IV, 42; Ol. IX, 67 sqq.; Isthm. VII, 49.

Sed licet valde hoc mirum sit, negari tamen non poterit, Pindarum partes nonnullas Iliadis nostrae cognitatas habuisse. Quattuor sunt loci, in quibus talis notitia manifesta est. Primum locus nominandus, quo praeceptum aliquod utilissimum ex Homero mutuatur nomine auctoris addito Pyth. IV, 277 τῶν δ' Ὅμηρου καὶ τότε συνθέμενος || ῥῆμα πόρσυν' ἄγγελον ἐσλὸν ἔφα τιμὰν μεγίσταν πράγματι παντὶ φέρειν, quod expressum ex Homericis Il. o, 207 ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἶδη. Paleyus p. 32 sane haec praecepta non congruere, sed diversa significare statuit. Altero deinde loco generali quadam ratione Nestoris et Sarpedonis laudes, quae clarissimorum poetarum carminibus celebrentur, significat poeta: Pyth. III, 112 Νέστορα καὶ Λύκιον Σαρπηδόν', ἀνθρώπων φάτις, || ἔξ ἐπέων κελαδεννῶν, τέκτονες οἶα σοφοὶ || ἄρμοσαν, γινώσκομεν.

§. 20.

Tertio loco Isthm. III, 55 Homerum dicit Pindarus praeclaris carminibus hoc effecisse, ut Ajax, licet infaustam mortem obierit, tamen apud posteros immortalis gloria celebretur, v. 55: ἀλλ' Ὀμηρός τοι τετίμακεν δι' ἀνθρώπων, ὃς αὐτοῦ || πᾶσαν ὀρθώσας ἀρετὰν κατὰ ῥάβδον ἔφρασεν, || θεσπεσίων ἐπέων λοιποῖς ἀθύρειν. Quartus denique locus, quo ad Iliadem Pindarus respicit, is est, quo de Corinthiis hoc praedicat: eos in bello Troiano et in castris Graecorum et in exercitu Troianorum arma tulisse: Ol. XIII, 56 ἐδόκησαν || ἐπ' ἀμφοτέρα μαχᾶν τέμνειν τέλος, || τοὶ μὲν γένει φίλῳ σὺν Ἀτρείῳ || Ἑλέναν κομίζοντες, οἱ δ' ἀπὸ πάμπαν || εἴργοντες. Intellegitur Glaucus, stirpis Corinthiae, et in Atridarum castris Euchenor, Polyidi filius, Coeranidae nepos, de quo in Iliade unus locus est cognitu dignissimus Il. v, 663—672, ubi a Paride occisus traditur v. 671 ὦκα δὲ θυμός || ὥχετ' ἀπὸ μελέων, στυγερὸς δ' ἄρα μιν σκότος εἶλεν.

§. 21.

His quattuor locis quintum erunt fortasse, qui additum velint; sed hunc minime ex Iliade expressum concesserim. Est locus clarissimus de Bellerophonte Ol. XIII, 63—92, quocum coniungendus Isthm. VI, 44—47. Pindari narratio si cum Iliadis ζ, 155—205 comparetur, facile rerum summam et extrema lineamenta aliquatenus congruere, in singulis omnia diversa esse adparebit. Homerus, quod satis grave est, et in quo omnia apud Pindarum posita sunt, Pegasus non novit, cuius prima omnino in Graeca poesi notitia est apud Hesiodum Theog. 281 et 325; conf. Boeckh, Explicatt. p. 218 init. Bellerophontis interitus alius est apud Pindarum Isthm. VI, 47, alius apud Homerum Il. ζ, 200. Quare quae de Bellerophontis fati Pindarus refert ex Iliade deprompta non sunt; alius potius est poeta, quem Pindaro in carmine Ol. XIII componendo ad manum fuisse maiore iure statuamus: Eumelus Corinthius, qui Corinthiaca scripsit. Hoc uno statim exemplo plausibile reddi poterit. Eumeli carmen copiose prosequatur Medae, Aetiae filiae, fata. Medea, teste Eumelo, Corinthi nata cum patre ad Colchos emigraverat, postea in patriam hereditatis iure freta rediit; huius narrationis octo versus nitidissimos servavit Schol. Pind. p. 278 extr. Ex his versibus Pindarus deprompsit hunc locum Ol. XIII, 53, quo Medeam ut patriam apud Corinthios heroinam splendido praeconio celebrat.

Eumeli carmen, in universum si quaeratur, ita compositum erat, ut antiquissimas Corinthiorum fabulas usque ad Glaucum Bellerophontis patrem complecteretur. In hoc heroe Eumelum substituisse vir eruditissimus Wilisch, de Eumeli poetae epici fragmentis, Zittaviae, 1875, p. 26 eo, ut videtur, argumento collegit, quod nulla, quae aetatem Glauco posteriorem respiciant, fragmenta servata sint. Sed utut est, fieri potuit, ut Bellerophontis fata, inprimis Pegasus frenis perdomitum, Eumelus in aliqua carminis Corinthiacorum digressionem enarraret. Quod si non absimile veri est, Pindarum conicere licebit fabulam illam Bellerophonteam ex Eumelo potius, quam ex Iliade mutuatum esse.

CONSPECTVS LOCORVM QVORVM FONTES INDICANTVR.

Olymp. I, 25—96 p. 8 || II, 87 p. 15 || II, 90 p. 14 || IV, 20 p. 13 || VIII, 31—47 p. 12 || IX, 49—65 p. 3 || IX, 67—79 p. 14 || X, 24—42 p. 9 || XIII, 56 p. 17 || XIII, 63—92 p. 17.

Pyth. I, 50—55 p. 15 || III, 25—30 p. 5 || III, 100 p. 15 || III, 112 p. 16 || IV, 277 p. 16 || VI, 28—42 p. 15 || IX, 12—70 p. 6 || XI, 19—34 p. 16.

Nem. III, 33. 34 p. 12 || III, 36—39 p. 10 || III, 43—58 p. 14 || III, 52 p. 13 || III, 62 p. 15 || IV, 25—32 p. 10 || IV, 55 p. 12 || IV, 59 p. 12 || V, 10—15 p. 12 || V, 26 p. 12 || VI, 57—60 p. 15 || VII, 24—30 p. 15 || VII, 36—43 p. 16 || VIII, 6 p. 11 || VIII, 10 p. 12 || VIII, 23—34 p. 15 || X, 55—90 p. 14.

Isthm. III, 53 p. 15 || III, 55 p. 17 || IV, 40 p. 14 || V, 27—35 p. 10 || V, 35—56 p. 7 || VI, 44—47 p. 17 || VII, 17—23 p. 11 || VII, 32—47 p. 14 || VII, 49 p. 14 || VII, 56 p. 15.

